

N V N C V P A T O R I A.

citetur virtus, est quod Homerum tuum amplectaris, & attente euoluas, qui infinita eius ex exempla tibi amplissimè suppeditabit, unde se illa augeri manifeste apud te sentiat, & cum suo danno huius amoris & attentionis fructus hostes tui postmodum experiantur. Sic apud eundem tuum Vatem reficata sibi à Minerva Tydei patris memoria, Troianū exercitū maiore cū alacritate Diomedes profligavit. Vide ergo quid tibi offerā. Poëtam nempe, qui solos istos strepitus bellicos intonabit, & ad prælia classicū tibi quodammodo canet: nihil humile, nihil abiectum, nihil à Regia Maiestatis grauitate & officio alienū referēs, nisi ubi illo tuo iudicij acumine vitia à virtutibus erunt discernēda, qua tamē sedulo & diligenter Poëta tuus distinguere solet. Homericō opus habeam calamo, si Homeri dignitatē dignè velim hac in parte prosequi. Mihi tamē sufficit, digitum ad ipsos fontes intendisse, unde Maiestas tua reliqua, quæ mea infantia eloqui non potest, si libet, hauriat. Quod idē de Prudētia, quā Rege dignā virtutē dixi, tum præceptis tum exēplis intelligi volo. Quæ licet in Iliade passim disseminentur, at peculiare Odyssæ volumen uberior & copiosius cōplectitur, quibus etiā potissimum destinatū à Poëta fuit: quorū enarratione supersedeo, ne diutius Maiestatem tuā ab ipsis Poëta lectione remorer. Quod si feceris, nihil sine exēplo nobilissimo feceris. Alexander Magnus tanto studio Homerū complexus est, ut totam Iliadē & maximam Odyssæ partem memoria calluerit, sed & emēdasse proprio marte Iliadē in Geographo legimus. Ecce quātus Imperator Poëtā nostrum amārit & excoluerit: rationem autē amādi, rationē excolendi eam demū habuit, q̄ eius Poësin solam verē regiā existimaret, ut Philippo patri interrogati, cur tantoper illi incumberet, respondisse memoratur. Hinc Homericam Iliadē semper cū pugione sub puluino eum repositā habuisse prodidit Onesicritus, quā etiam precioso illo Persico Narthecio includere postea solitū referunt. Idem studiū circa hunc Vatē in Cassandro Macedoniae Rege fuisse tradidit Caristius. Tantū ergo tibi Vatē offero, Rex illustrissime, qui se satis ex superioribus argumētis, suaq; lectione dignū tua Maiestate prodet. Addidi nōnullos meos in eum Commentarios, eos quidē nullius perse momēti, sed lōgo satis & accurato, quantū in me situm est, labore cōscriptos. Quos tibi eō gratiōres esse opto, quō primus hoc scribēdi genere vtrumq; volumen Homericū perpetuo contextu exornauī, idq; præter vulgatū in hunc Poëtā scribentium morē, qui cū in verborū enucleatione maximē occupentur, ego res ipsas attentione dignas potissimum tractauī, unde etiā aliquid amplius reliquis præstare poterā, si iuuenili meo feruori maturitas iudicij & rerū experientia, quæ nō nisi longa aetate cōparatur, affuissent. Ut ut se res habeat, quod hac in re potui, id volui totū tuum esse, ut si facultas illa magis in reliquis meis studijs adoleuerit, eundem animum & voluntatē eō magis aucturū iri intelligas: cuius ut in presentia rationē duntaxat habeas, summis precibus à tua Maiestate flagito: quam Deus Opt. Max. in longos annos tuis subditis & Ecclesiæ Christianæ protegat & conseruet. Vale Rex Illustrissime, & Mecenas clementissime. Basilea Rauracorum 12. Iunij, anno 1583.

Regiæ tuæ Maiestati
addictissimus
Ioannes Spondanus.

a 4 TΩ